

still greater, if there be many of these Points, that the Error lights not upon such a single Article; *as in the Third Proposition.*

---

*IV. Part of a Letter from Dr. Hotton to Dr. Tancred Robinson, Concerning the late Swammerdams Treatise de Apibus; the Ahmella Ceylonensibus, and the Faba Sti. Ignatii.*

**I**T A est, damnabat sua studia δι μακεσσίης Swammerdamus noster; erat enim Sectæ Antoniae Bourignon adidictus: id verò doleo non prodilisse Amici hujus nostri *Commentarium de Apibus*, omnium quæ unquam elaboravit Castigatissimum; hoc opus vernaculo Sermone scriptum cum Iconibus quamplurimis eò spectantibus plus semel apud eum vidisse me satis memini; at ubi jam latitat ignoror prorsus.

Nuperis Annis magnam celebritatem nacta est ob vim Lithontripticam quæ ipsi ascribitur, Herba quædam à *Ceylonensibus Ahmella* dicta. An jam uspiam exstet nescio; sed eam colui, cum versarer in Praefecturâ *Horti Amstelod.* Flores fundit in summis caulis persimiles *Chrysanthemo Curassav.* alato caule flo. *Aurantius Par. Bat.* Semen ei bidens, caules quadrati, fol. Lamii vel Urticæ (quæ subacria sunt) conjugatis amicti; undè manifestè liquet ad *Cannabinæ Genus*, quod bidens vocat *Catalpinus*, eumque sequutus *Tournefortius*, spectare; neque fortè inconcinnè nuncupari posse *Cannabinam aut bidentem Urticæfoliam Indicam Lithontripticam*.

Novissimè quoque increbuit usus *Faba*, quam vocant, di Sto. Ignatio; dicitur & *Higosur* & *Faba di St. Nicolas* & de *Cava longa*. Semen est amarissimum, quod nullam *Fabæ*



Fabæ præ se fert similitudinem, ut ex ipso semine adjecto videbis. Ad movendos sudores & debellandos Febris præcipuum creditur ; & Diarrhoeæ, Dysenteriæ, colicis doloribus, motibus convulsivis, ipsique epilepsia mederi, & externè admotum scabiei ; celebratur cum primis & ejus Virtus Alexipharmacæ. Provenit in *Philippinis* quas vocant, iisque vicinis *Insulis*. Cujus Generis stirps sit ignoratur ; id tantum didici ex D. Rafaële de *Roa*, Hispano viro egregio & erudito, qui in iis Insulis diu vixit, convolvulaceam esse Plantam Arbores altissimas scandentem, fructumque ferre Mali Punici magnitudine, quo complura Semina reconduntur, ex quibus deciduis novæ Plantæ subnascuntur. Fortè erit ut ejus mentio fiat in *Historia Naturali Insularum Molucarum*, Opere grandi & insigni, quod ad Societatem nostram Indicam nuper misit ejus Auctor *Georgius Rumphius*. Hoc si aliquando publicetur (ut credibile est) materiam præbere poterit Quarto Volumini *Histor. General. Plantar.* D. J. Raii.

---